



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

Concilium Parisiense IV. In Qvo Pappoli Episcopi Carnotensis causa  
suscepta est aduersus Promotum, qui in castro Dunensi episcopus fuerat  
constitutus, celebratum in sancti Petri basilica, sub die ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

BENEDICTVS C. PARISIENSE IV. IUSTINVS IVNIOR IMP.  
P. I. CHILPERICVS R. FR. 699

ANNO CHRISTI 573. CONCILIVM PARISIENSE IV.

IN QVO PAPPOLI EPISCOPI CARNOTENSIS  
causa suscepta est aduersus Promotum, qui in castro  
Dunensi episcopus fuerat constitutus, celebratum in  
sancti Petri basilica, sub die III. Idus Septembris, in-  
dictione VI. anno Christi DLXXIII. Benedicti papæ I.  
Chilperici & fratrum regum XII.

TENOR SVG GESTIONIS LIBELLI  
SYNODO OBLATI A PAPPOLO EPISCOPO.

*Dominis semper suis, atque apostolica dignitate colendis, omnibus  
episcopis qui in sancta Synodo nunc Parisius conuenerunt,  
Pappolus Carnotinæ ciuitatis episcopus  
humilis vester.*

IT A nos canonica institutio admonet, ut quotiens aliquæ  
lexortæ fuerint in ecclesia cause, synodali hoc conuen-  
tu debeat publicari. Ideo, piissimi domni, in vestræ pietas-  
tis notitia hæc quæ contra nos gesta sunt, per præsentis li-  
belli nostri tenorem studuimus deferendum. Ergo cum  
me ante aliquod temporis clericorum vel ciuium Carno-  
tinæ ciuitatis voluntas per consensum, cum conniu-  
entia etiam metropolitani mei, fieri episcopum elegisset,  
quod annuente Domino factum est, post aliquot dies,  
quidam ex ipsius ciuitatis Carnotinæ territorio presbyter,  
nomine Promotus, qui reliquerat sine literis antecessoris  
mei cellulam suam, inlicita præsumptione parochiam  
meam, cui vocabulum est Duno, quasi sub nomine epi-  
scopatus visus est peruaisse. Etiam & facultaticulam ec-  
clesiæ, cui præesse videor, quantum in ipso pago esse con-  
stat, nescio per cuius ordinationem, simili conditione per-  
uasit. Pro qua re supplex vester sanctitati vestræ suggero,  
& per Spiritum sanctum, qui in vobis habitat, & diem iu-  
dicii futurum, & per remissionem peccatorum, vobis  
domnis meis coniuro, ut hoc ita, qualiter vobis fierinon  
vultis, emendari iubeatis: quatenus nec per callidam præ-  
sumptionem quis audeat in postmodum per tumorem su-  
perbiæ similia perpetrare, & similitas ecclesiæ, vestro stu-

Concil. Tom. 12.

Tttt ij

700 BENEDICTVS CONCILIVM IUSTINVS IVNIOR IMPER.  
P. I. CHILPERICVS REX FRANC.

dio & ordinatione, iam Christo propitio conquiescat.

Cuius suggestione Synodus sancta, spiritali fauore & canonico  
ritus respondens, haec contra temerarios scripsit oblata.

ANNO  
CHRISTI  
573.

CONSTITUTIO SYNODES  
AD AEGIDIVM EPISCOPVM RHEMENSEM,  
qui Promotum in Dunensi castro episcopum  
temere consecratarat.

Dominis suo, atque beatissimo & meritis apostolico fratri, Aegidio  
episcopo, Philippus, Sapandus, Priscus, Constitutus, Laban,  
Felix, Germanus, Lucretius, item Felix, Clementinus, Sya-  
grius, Optatus, Gallomagnus, Salonius, Quinidius, item Sa-  
lonius, Sagittarius, Promotus, Genesius, Polemius, Auna-  
charius, Hesychius, Palladius, Silvester, Victor, Pappolus,  
Claudianus, Heraclius, Tetradius, Licerius, Leudobaudis,  
& Desiderius, episcopi, nec non Launoueus presbyter.

**D**V M pro causis publicis, priuatorumque querelis Pa-  
risius moraremur, vir apostolicus frater noster dom-  
nus Pappolus episcopus mediocritati nostrae detulit in  
querelam, in castro Dunensi, parochia denique Carnoti-  
na, quod castrum nec ad territorium ciuitatis veltræ, nec  
ad vestram prouinciam manifestum est pertinere, a vobis  
contra omnem rationem & contra canoniam discipli-  
nam episcopum consecratum. Et licet secundum prisca  
beatissimorum patrum decreta potuit huiusmodi exces-  
sus in vestra iniuria acerbius coerceri; sed nos caritatis  
iura seruantes, beatitudini veltræ indicamus, vt presbyte-  
rum ipsum, nomine Promotum, qui omissa severitate  
canonica a vobis dicitur tam temere consecratus, vt iuste  
debeat de gradus ipsius dignitate deponi, sicut Canonum  
constituta sanxerunt, ad vos euocetis, vel vobiscum reti-  
neatis, vt iniuriam nec ecclesia, nec sacerdoti suo ulterius  
debeat inrogare. Et quia a fratre vestro domno Germano  
episcopo, ad petitionem domni Constituti metropolita-  
ni, vt ad Synodum venire deberet, est præsentanea inui-  
tatione commonitus, quod quoque dominum Constitu-  
tum, & dominum Germanum constat in Synodum retu-  
lisce, & ad Synodum venire distulit. Idcirco nouerit beatu-  
tudo vestra, hoc apud uniuersum præsenti tempore

ANNO CHRISTI  
573. Concilium constitutum , vt si memoratus presbyter,  
aut propria contumacia , aut cuiuscumque potestatis  
assentatione , in prædicta Dunensi ecclesia præsumps-  
erit sub huius subrepti honoris argumentatione vte-  
rius residere, vel res ecclesiæ ipsius amplius usurpare , aut  
altaria benedicere , infantes confirmare , vel ordina-  
tiones per quascumque parochias facere , aut episco-  
po suo fratri vestro domno Pappolo resistere praua  
intentione præsumpsit, ab omni coetu episcoporum , vel  
a communionis consortio , perpetuo anathemate feria-  
tur : & frater noster dominus Pappolus episcopus , vel  
ecclesia Carnotina , parochias quas hucusque habuit sub  
sua ordinatione , debeat auxiliante Domino gubernare.  
Statuentes etiam , vt quicumque de populo illo bene-  
ditionem memorati Promoti presbyteri , post hoc edi-  
ctum manifestatum vel publicatum , aut expetierit , aut  
accipere contentus fuerit , a communionis consortio ,  
vel ab ecclesiæ liminibus arceatur. Data constitutio die  
111. Iduum Septembrium , anno XII. regum domno-  
rum nostrorum , indictione VI. Parisius.

S V B S C R I P T I O N E S .

Philippus in Christi nomine Viennensis ecclesiæ episcopus hanc  
constitutionem nostram subscripsi.

Sapaudus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Arelatensis hanc con-  
stitutionem nostram relegi & subscripsi.

Priscus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Lugdunensis constitu-  
tionem nostram relegi & subscripsi.

Constitutus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Senonicæ consti-  
tutionem nostram relegi & subscripsi.

Laban peccator ecclesiæ Elozanæ consensi.

Felix in Christi nomine episcopus ecclesiæ Bituricæ constitutionem  
nostram subscripsi.

Germanus peccator , et si indignus , in Christi nomine episcopus ec-  
clesiæ Parisiacæ , constitutionem nostram relegi & subscripsi.

Lucretius , ac si peccator , in Christi nomine episcopus ecclesiæ De-  
ensis constitutionem nostram subscripsi.

Item Felix , ac si peccator , in Christi nomine episcopus ecclesiæ  
Namneticæ constitutionem nostram subscripsi.

Clementinus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Aptensis consti-  
tutionem nostram subscripsi.

Syagrius in Christi nomine Æduorum episcopus constitutionem no-  
stram subscripsi.

- Optatus in Christi nomine Antipolitanæ ecclesiæ episcopus constitutionem nostram subscripti.
- Gallomagnus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Trecassiniæ constitutionem nostram subscripti.
- Salonius in Christi nomine episcopus ciuitatis Genauenium constitutionem nostram relegi & subscripti.
- Quinidius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Vasensis constitutionem nostram relegi & subscripti.
- Item Salonius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Ebredunensis constitutionem nostram relegi & subscripti.
- Sagittarius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Vappicensis constitutionem nostram subscripti.
- Promotus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Glannatinæ constitutionem nostram relegi & subscripti.
- Genesius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Segestericæ constitutionem nostram subscripti.
- Polemius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Agennensis constitutionem nostram subscripti.
- Aunacharius in Dei nomine episcopus ecclesiæ Autifidorensis constitutionem nostram subscripti.
- Hesychius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Gratianopolitanæ constitutionem nostram subscripti.
- Palladius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Sanctonicæ constitutionem nostram subscripti.
- Silvester in Christi nomine episcopus ciuitatis ecclesiæ Vesontiensis constitutionem nostram subscripti.
- Victor in Christi nomine episcopus ecclesiæ Tricastinæ constitutionem nostram relegi & subscripti.
- Pappolus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Lingonicæ constitutionem nostram relegi & subscripti.
- Claudianus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Regensis constitutionem nostram relegi & subscripti.
- Heraclius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Diniensis constitutionem nostram relegi & subscripti.
- Tetradius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Vendascensis constitutionem nostram subscripti.
- Licerius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Eloronensis constitutionem nostram relegi & subscripti.
- Leudobaudis peccator ecclesiæ Sagensis subscripti.
- Desiderius episcopus ecclesiæ Telonenensis constitutionem nostram relegi & subscripti.
- Launoueus presbyter, in vicem Ricomeri Aurelianorum episcopi, constitutionem nostram subscripti.
- Subscripta constitutio in basilica domni Petri, inductione supra scripta, Parisius.*

ANNO  
CHRISTI  
575.

BENEDICTVS PARISIENSE IV. IUSTINVS IVNIOR IMP.  
P. I. CHILPERICVS REX FR. 703

ANNO  
CHRISTI  
573.

## EPISTOLA SYNODI EIVSDEM

A D S I G I B E R T V M R E G E M,

vt Promoti causam non defendat.

Domino glorioſſimo, atque sanctæ ecclesiæ catholicæ filio, Sigiberto regi, Sapaudus, Philippus, Priscus, Constitutus, Laban, Felix, item Felix, Germanus, Lucretius, Clementinus, Syagrius, Gallomagnus, Optatus, Salonius, item Salonius, Quinidus, Promotus, Silvester, Genesius, Polemius, Palladius, Victor, Sagittarius, Aunacharius, Hesychius, Claudianus, Desiderius, Heraclius, Tetradius, Pappolus, Licerius, & Leudobaudis, episcopi.

**Q**VANTVM ineffabili gaudio synodali Concilio nuntiatur, quandoquidem a catholico principe res noua pro dilectione Christi concipitur; tantum lamentabile execrandumque censetur, cum in ecclesia sancta contra Deum, & contra Canonum disciplinam dissensio generatur. Nuper etenim non absque connuentia gloriae vestrae, sicut credimus, euocati Parisius venientes, nouam inauditamque ordinationem in castro Dunensi, parochia denique Carnotina, factam fuisse cognouimus. Quam rem licet vix credere possumus cum consensu gloriae vestrae fieri potuisse; tamen si cuiuscumque prava suggestione praeventi, in hac tam obsecna & ecclesiæ vniuersitatem contraria consensisti, ab huiusmodi scandali defensione sinceritatis vestrae conscientiam expietis: quia satius est, vt ille qui ambitionis instinctu rem tam nefariam dolosa ambitione competiit, per satisfactionem poenitentiae reatum suum abluere compellatur, quam vestra puritas (quod auertat diuinitas) huius facinoris contagione maculetur. Et quia nobis necesse fuit, vt iuxta Canonum constituta personæ temerariæ deberet presumptio coerceri; ideo salutis obsequium digno in Christo officiositatis & reverentiae cultu præbentes, poscimus, vt vos, quos Deus & culmine præcipuos, & sinceritate præclaros esse præcepit, non quocumque, aut quorumcumque temerario consilio ad defensanda huiusmodi scandala misceratis: quia Deum sufficit nosse, nos nequaquam penitus velle contra vos diuinam iracundiam promoueri. Annis

704 BENEDICTVS CONCILIVM IUSTINVS IVNOR IMPER.  
P.I. CHILPERICVS REX FRANC.  
multis gloriam regni vestri potentia diuina cum omni  
felicitate conseruet, domne gloriosissime, & præcelen-  
tissime domne.

ANNO  
CHRISTI  
575

#### S V B S C R I P T I O N E S.

Venerator vester Sapaudus episcopus salutare præsumo.  
Humilis vester Philippus reuerenter audeo salutare.  
Humilis vester Priscus reuerenter audeo salutare.  
Humilis vester Constitutus reuerenter salutare præsumo.  
Laban peccator salutare præsumo.  
Humilis vester Felix audeo salutare.  
Item Felix humilis vester audeo salutare.  
Germanus peccator, proprius vester, et si præsumptiosus, audeo sa-  
lutare, & supplico, vt non despicias suggestionem sacerdotum.  
Lucretius venerator vester humiliter saluto.  
Clementinus venerator vester humiliter saluto.  
Syagrius humilis vester reuerenter salutare præsumo.  
Gallomagnus humilis vester reuerenter salutare præsumo.  
Optatus humilis vester reuerenter saluto.  
Salonius vester reuerenter saluto.  
Item Salonius humilis vester debita reuerentia salutare præsumo.  
Quinidius humilis vester saluto.  
Promotus humilis vester seruienter saluto.  
Silvester humilis vester reuerenter saluto.  
Genesius humilis vester reuerenter saluto.  
Polemius peccator, & humilis vester, reuerenter saluto.  
Palladius peccator reuerenter saluto.  
Victor peccator reuerenter salutare præsumo.  
Sagittarius humilis vester reuerenter saluto.  
Aunacharius humilis vester reuerenter saluto.  
Hesychius cliens & humilis vester reuerenter audeo salutare.  
Claudianus episcopus humilis vester salutare præsumo.  
Desiderius episcopus humilis vester salutare præsumo.  
Pappolus humilis vester salutare præsumo.  
Heraclius peccator humilis vester salutare præsumo.  
Tetradius peccator reuerenter salutare præsumo.  
Licerius peccator reuerenter saluto.  
Leudobaudis peccator subscripti.

Data epistola sub die III. Iduum Septembrium, anno  
XII. regum domnorum nostrorum, Parisius.

#### N O T Æ I A C O B I S I R M O N D I S O C I E TAT I S I E S V.

<sup>1</sup> Concilium Parisense. ] Id ipsum videtur, cuius a Gregorio Tu-  
ronensi lib. 4. cap. 41. fit mentio his verbis: *Cum autem, inquit,*  
*con-*

ANNO CHRISTI contentio inter Guntramnum & Sigebertum reges verteretur, Guntram-  
573. nus rex apud Parisos omnes episcopos regni sui congregat, ut inter utrof-  
que, quid veritas haberet, edicerent. &c.

\* III. Idus Septembbris, indictione vi.] Anno Christi 573. Indictione  
num olim apud Romanos, & apud Gallos, diuersum fuit exor-  
dium. Romani enim cum reliqua Italia, sicut & Græci, nouas  
indictiones inchoabant a Calendis Septembbris, quod in Gregorii  
magni, Ioannis VIII. & Gregorii VII. epistolis obseruare est. Verbi  
gratia, Gregorii VII. epistola 19. lib. 1. Rodulfo Duci Sueviae da-  
ta dicitur *Capue Kalendas Septembbris, indictione incipiente 12.* &  
apud Paulum diaconum de gestis Longobardorum capite 25. *Al-*  
*boinus Italiam ingressus indictione ingrediente 3. tertio Nonas Se-*  
*ptembbris.* Galli vero priscam & veram, vt fama est, indictionum ori-  
ginem retinentes, earum exordium ducebant ex die 8. Kalendas  
Octobris. Vnde in capitularibus Caroli Calui, coronatus is dici-  
tur Metis in regno Lotharii 5. Idus Septembbris, anno Christi 869.  
indictione 2. nondum mutata scilicet indictione, quæ alioqui nu-  
meranda erat 3. si ex Kalendas Septembbris Romano more fuisse  
inchoata. Eodemque modo Ludouici Balbi extat diploma pro Hu-  
gone abbe sancti Martini, Trecis datum anno 878. Nonis Septem-  
bris, indictione 11. non 12. Sicigitur & hoc loco, indictio 6. quæ Idus  
Septembres antecedit, more Gallico intelligenda est, non noua, sed  
cuius pauci adhuc restabant dies, vsque ad 8. Kalendas Octobris, an-  
no Christi 573. Alioqui si ad methodum Romanam examinetur indi-  
ctio, congruet sextæ initium anno 572. Verum hic regum annus erit  
non 12. vt est in Synodi subscriptione, sed 11.

\* Anno 12. regum nostrorum.] Clotarii regis filiorum, Guntrami,  
Chilperici, & Sigeberti, Chariberto fratrum maximo iam de-  
functo. Horum regni annum 12. congruere anno Christi 573. ex  
indictionis 6. nota proxime ostensum est. Idem ex Sigeberti quo-  
que regis annis conficitur, quem Gregorius Turonensis lib. 4. ex-  
tremo scribit obiisse anno regni 14. eiusque successorem Childe-  
bertum filium die natalis coronatum tradit lib. 5. cap. 1. Christi au-  
tem annum hunc fuisse 575. ex aliis eiusdem Gregorii locis liqui-  
do comprobatur: tum quod cap. 16. eiusdem libri, anno Childeber-  
ti secundo pascha narrat die 16. Kalendas Maias celebratum, quod  
sine dubio congruit anno 577. tum quod libro 6. cap. 25. idem au-  
tor est, anno Childeberti octauo, pridie Kalendas Februarias diem  
incidisse dominicum, quod perinde congruit anno 583. Quare si, vt  
ex his patet, anno Christi 575. regum istorum decimus quartus lab-  
ebatur, reliquum est vt duodecimum eorum annum anno 573. com-  
petere, regique eorum exordium ex anno 562. cœpisse statuamus,  
vt dictum est.

\* Tenor suggestionis.] In vetere libro scriptum suggestionis. atque  
ita etiam in epistola Synodi Aruernicæ ad Theodobertum regem:  
*Deo placente suggestione consulimus.* & in Concilio V. Aurelianensi  
capite 7. plurimorum suggestione comperimus.

Concil. Tom. 12.

Vuuu

## NOTA SEVERINI BINII.

ANNO  
CHRISTI  
575.

<sup>Clades Gal-</sup>  
<sup>liae sub Chil-</sup>  
<sup>perico illa-</sup>  
<sup>ta.</sup>

\* *Concilium.*] Cum in Gallia bellum ciuale recrudeſceret , Gun-  
 tramus rex procurauerat vt Parisis Concilium celebraretur, ſi forte per sanctissimos epiftcos res abſque bello componi poſſet. Ve-  
 rum vbi ſemel res armis agi coepit, ecclesiasticæ leges omnino fi-  
 luerunt. Ait enim Gregorius de geſtis Francorum lib. 4. cap. 47. &  
 48. his temporibus accidisse, vt Chilpericus per filium ſuum Theo-  
 dobertum Turonensibus, Pictauiensibus, atque aliarum ciuitatum  
 eccleſis magnam cladem intulerit. Hanc ille paucis perſtrigens,  
 ſic ait: *Vafat, euertit, eccleſias incendit, ministeria detrahit, clericos in-*  
*terficit, monaſteria virorum deiicit, puellas deludit, & cuncta deuafat:*  
*fuitque illo tempore peior in eccleſis gemitus, quam tempore persecutoris*  
*Dioctetiani. Vide Baronium anno 576.*

---

 EPISTOLA SANCTI GERMANI  
 EPISCOPI PARISIORVM  
 AD BRVNICHILDEM REGINAM.

Ut Sigeberturn regem reuocet a consilio belli , quod  
 fratri ſuo inferebat.

*Dominæ clementissimæ atque præcellentissimæ, & nobis ſemper*  
*piissimæ dominæ, & in Christo ſanctæ eccleſiae filiæ,*  
*Brunechildi reginæ Germanus peccator.*

<sup>1. Cor. 6.</sup> Q VIA caritas congaudet veritati, & omnia fufinet, &  
 nunquam excidit ; propterea ex contribulato corde,  
 & ex intima animi dilectione audemus vobis ſuggerere.  
 Quia eo tempore , quando minor erat numerus populi  
 Christiani , & cum Dei auxilio licebat residere quietum,  
 cum apostolis dicebant : *Eccenuntempus acceptabile, ecce nunc*  
*dies ſalutis.* Nunc e contrario tam funefatos & luctuosos  
 ante oculos habentes dies , flenter dicimus : Ecce dies tri-  
 bulationis & perditionis noſtræ adueniunt. Vx nobis, quia  
 peccauimus. Si nos iſta non conterruiſſent amaritudines  
 & tribulationes , & corpori exhibuiſſent infirmitatem,  
 per nosmetipſos veſtræ debuimus occurrere pietati. Quia  
 ſi fas dici eſt , ſingulariter & veſtri dilectionem in noſtro  
 geſtamus pectore, & vnic de veſtra praefentia ſpirituali de-  
 ſiderio ſitiētes, ſicut cultores & peculiares filii Dei, ambien-